



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

5. De traductione sponsæ in donum sponsi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

mentali, non autem Sacramento, de re gravi non esse. Vtrumque probabile. Sed mihi probabilior est sententia hæc negans, quia, nisi clare consenti gnera gravia, nolo ea Fidelibus imponere.

4. Et hic quidem non improbabiler docet Sanch. lib. 3. matr. d. 12. n. 10. Cui adde Villalob. apud Leand. l. c. 9. 7. Episcopum posse per alias pœnas cogere conjuges ad ejusmodi Benedictiones assumendas, sed non per excommunicationem, quia hæc res non est adeo gravis ut per excommunicationem vergeri queat, quidquid contra Sanch. sentiant Leander, Soc. cit. & alii.

5. In sententia autem affirmante, esse mortale, Benedictiones negligere (quæ sententia certe probabilis est) obligatio sub mortali solum esset, ne prima vice conjuges consumment Matrimonium, ommissa Benedictione, non verò pro vicibus aliis.

§. II. Secunda nuptia, an sint benedicenda?

1. Quando Conjuges ambo, vel alter ipsorum contrahit secundas Nuptias, non debent benedici, ut probant ex Sacris Canonibus Bellarminus de matr. c. 16. Sanchez, lib. 7. d. 82. Barb. in Trid. sess. 24. c. 1. de ref. matr. alique. Ratio præcipua est, quia Benedictiones solennes Ecclesiæ non solent ex iure repeti, c. Vir, de sec. Nupt. super eadem re.

2. Nihilominus, quamvis ita res se habeat ex vi iuris, tamen standum erit consuetudini, quam singulæ Ecclesiæ laudabiliter servant. Nam alicubi, quando alter solus ex conjugibus, sive vir, sive femina acceperat in primis suis Nuptiis Benedictionem, rursus accipit in secundis, si ducat conjugem, sed primas Nuptias ineunt, & certe ita esse consuetudinem introductam, absolute docet Sanchez loc. cit. testans, adesse etiam de hoc quandam Extravag. Ioan. XX II.

3. Alicubi autem, quando femina, tunc primum contrahit, seu antea benedicta non fuerat, iterum cum viro, quamvis viduo ante benedictio, benedicitur, non autem contra, id est, quando femina benedicta fuerat, licet vir non fuerit benedictus. Et Averfa l. c. §. 1. am verò, quidem testatur, in Italia, ita introductum communiter esse. Servetur ergo, ut dicebam, consuetudine Ecclesiæ consuetudo.

4. Pena Parochi benedicens secundas Nuptias in casu per jura, vel prædictas consuetudines non permisso, esse arbitratiam ab Episcopo infigendam, concludit Bos. c. 9. de matr. num. 43.

§. III. Quisnam Nuptias benedicit.

1. Nihil est à Tridentino pœna suspensionis ipso facto ab officio, & Beneficio, ei Parochi, qui benedicit conjuges alienæ Parochiæ, quæ suspensio sit duratura, quandiu ab Ordinario ejus Parochi, à quo Benedictio suscipienda erat, absolvetur. Vide quæ dixi supra, c. 1. §. 5. n. 22.

2. Hinc igitur vides, per Parochum, vel per Sacerdotem ex ejus licentia, Nuptias esse benedicendas, & quia Benedictiones dandæ sunt inter Missarum solemniam idcirco ad has non posse delegari, nisi Sacerdotem.

3. Si, antequam conjuges Benedictiones acceperint, mutant domicilium, Parochus hujus domicilii debere Benedictiones dare, dubium ne sit, quia tunc ille est proprius Parochus; denique hic discurre, sicuti discurremus de Parochi, cum de ejus præsentia ad Matrimonium super disputavimus.

4. Sed peccabitne Parochus benedicens conjuges alienæ Parochiæ?

Respondeo, quandoquidem is læderet ius alieni Parochi, & incurreret ipso facto in suspensionem modo dictam, idcirco ex capite ineursus in suspensionem, aliquis posset excusare à mortali prædictum Parochum, quia sicuti nonnulli Doctores, quos ego lib. 3. opusculi de Sacrific. Missæ, c. 1. §. 8. n. 7. citavi, docent pœnam, etiam ipso facto

suspensionis, non esse signum obligationis sub mortali, ita in casu hoc. Ex capite item læsionis iuris alieni facile etiam quis posset excusare à mortali eundem Parochum, si semel, aut iterum alienam ovem benediceret, quando modicum judicaretur esse præjudicium Parochi proprii, non verò, quando sæpe, & cum gravi ejusdem præjudicio. Ita de Fideli Eucharistiam semel, aut iterum suscipiente extra suam Parochiam in Paschate, qui ceterum paratus est, suum Parochum recognoscere, ita, inquam, ego philosophatus sum in opusculi de Communione, c. 4. §. 4. num. 50. pari igitur modo posset aliquis philosophari in præfenti casu.

§. IV. Quoniam tempore Benedictiones concedenda non sint.

1. Quamvis iure antiquo dies plures exciperentur, in quibus prohibitum erat, Benedictiones conferre, hodie tamen Tridentinum sess. 24. cap. 10. de reform. matr. prohibitionem restringit ad Adventum, & Quadragesimam his verbis: Ab Adventu Domini Nostri, usque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum, usque in Octavam Paschæ inclusive, antiquas solemnium Nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari Sancta Synodus præcepit, in aliis verò temporibus Nuptias solemniter celebrari, permittit.

2. Hoc præceptum, quo solum prohibentur dictæ Benedictiones (nam ceterum quocunque tempore possunt iniri sponsalia, denunciations fieri, contrahi Matrimonia, illaque consummari) censeo cum Averfa c. 20. de matr. sess. 2. v. Obligare, obligare sub mortali. Ratio est, quia id præcipit Tridentinum in honorem, & reverentiam illorum dierum, sicuti præcipit Ecclesia, jejuniis, festis dies, &c.

3. Præterea conjuges recipientes Benedictionem prædictis diebus, jubentur, c. Non oportet 2. 33. 9. 4. separari ad arbitrium Episcopi, (sed certe excluso incontinentiæ periculo) quod si conjuges sic puniuntur, multò magis, & ipsi Parochi diebus illis vetitis benedicientes, erunt ad arbitrium ejusdem Episcopi puniendi, nam in iure non adest pœna taxata, ut notant Averfa l. c. cit. Posse autem Episcopum dispensare, ut in dictis diebus Benedictio ex causa urgente (quæ certe rarissime contingere potest) omittatur, docet Sanch. lib. 7. matr. d. 7. n. 6.

4. Tempore interdicti localis generalis, vel cessationis à divinis dubitare quis posset, an conferri ita licite queant ejusmodi Benedictiones, sicuti, ex probabilissima sententia apud Hurt. de interd. diff. 8. n. 27. licite possunt contrahi matrimonia; & dubitationi respondendum est negativè, id est, non conferri licite. Ratio est, quia hæc sunt propriæ officia Ecclesiastica, quæ tempore dicti Interdicti certo prohibentur. Vide de hoc nimis plura apud Bos. c. 9. de matr. §. 13. & seqq.

§. V. Quando, & sub qua obligatione à solemnibus tradu-
tione Sponsa in domum Sponsi sit abstinendum?

1. Quænammodum videtur prohibitio adhibendi Benedictiones tempore Adventus, & Quadragesimæ, ita, & traducendi Sponsam, in Sponsi domum cum solemnibus pompis, id enim videtur à sacris officiis Fideles avocare, quod pro sacris illis diebus minus decet. Dico (cum solemnibus pompis) non enim vetatur simplex deductio Sponsæ in domum Sponsi.

2. Docet autem Sanch. lib. 7. matr. d. 7. n. 13. pompam moderatam non asferre culpam ullam paulò excedentem asferre venialem saltem, excedentem verò ita, ut ex arbitrio prudentis, judicetur notabiliter, detrahere sanctis illis diebus, atque animum dare aliis notabilis, offensionis, & scandali, culpam asferre mortalem.

3. At Pont. lib. 6. c. 8. n. 10. quem sequitur Averfa l. c. v. Non obligare, docet potius esse dicendum, absolute mortalem culpam asferre, quia id grave præceptum est. Siquidem ejusmodi pompa interdicitur in reverentiam illorum

